

Sermo

promittit deus penitentibus. ut dicitur Isaie ultimo. Quomodo si mater blandiatur filio. quando videt eum desiderio materni lactis affectum. Ipsa in gestione mammaram dulciter consolando. Ita ego consolabor vos. hijs uerbis nos specialiter consolabitur in die resurrectionis gloriose. quando sacri corporis et preciosi sanguinis sui participes efficiet penitentes. Nos ergo interim hijs nutrirī oportet usque ad tempus ablationis nostre. scilicet donec ad mensam patris et celeste conuiuii transeamus.

Eodem die

Sermo. xlvij de evangelio.

Est puer unus hic qui habet quinque panes ordeaceos et duos pisces. In hijs uerbis euangelicis. tria nobis sunt inquirenda. uidelicet Quis sit ille puer. Quid per quinque panes. et quid per duos pisces intelligere debeamus. Puer ille penitentia est. qui puer dicitur ab effectu. quia purum efficit penitentem. Unde. dicit Ambrosius Penitentia uera est que ad baptismi conatur reducere puritatem. Quod signatum est quarto Regum quinto. Ubi legitur quod Naaman iuxta consilium helysei lauit se septies in iordane. et restituta est caro eius sicut caro pueri paruuli. Naaman quidem decorus interpretatur et signat fidelem baptismi gratia decoratum qui leprosus efficitur cum labitur in mortale peccatum. cui helyseus. id est christus consulit ut septies in

quadagesimus septimus**B**

iordane lauetur. Iordanis interpretatur humilis descensus. vel riuus iudicij. et signat penitentiam in qua peccator descendere debet per humilitatem contritionis. et subdere se iudicio sacerdotis hic septies lauari debet confitendo quicquid peccauit per uisum. quicquid per auditum. quicquid per odoratum. quicquid per gustum. quicquid per consensum. quicquid etiam per delectationem rerum. Unde in extrema unctione in hijs septem locis infirmus inungitur ut sicut in sacramento penitencie mundatus est a mortalibus. sic in sacramento extreme unctionis mundetur a uenialibus. que hijs septem modis commisit. Sequitur ibi. et restituta est caro eius sicut caro pueri paruuli. quod perfecte penitens in corde recuperat innocentiam paruulorum. et in corpore puerilem sibi uendicat puritatem in mortificatione membrorum. Nunc uidentur est qui sunt quinque panes ordeacei quos baiulat puer ille. Hanc ista sunt cognitio peccatorum. dolor de obmissis bonis. pudor de commisis malis. custodia cordis. et sollicitudo salutis. Sed oportet ut frangantur hijs panes ut turba simplicium valeat saturari. Primum panis est cognitio peccatorum. De quo habetur Danielis. v. Quod apparuit articulus scribentis in pariete. Hanc. Tebel. Phares. id est Numerauit. Appendit. Diuisit. Articulus est gratia spiritus sancti. scilicet que in peccatoris corde scribat ut numeret. appendat et diuidat peccata sua. De hijs enim peccator numerare coram sacerdote. quod et quanta mala commisit. si iam